



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 59. Sacra Cardinalium comitia pro eligendo novo Pontifice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Coscia Palatium incendere minitaretur, imo jamjam ignem supponeret. Sæc. XVIII.
A.C. 1730.
 Altera die Negronius Pontificii ærarii Præfectus, & Sardinis rei bellicæ Curator suis officiis exuebantur, ac die vigesima quinta Februarii paulopost plures alii Cosciæ Amici, quos fuga non abstulerat, in carceres raptabantur: Supererat ipse Cardinalis Coscia, qui in ædibus Marchionis Abbatis delitescebat, cujus palatium populus funditus evertisset, ni ab occurrente milite fuisset cohibitus. Ut ergo Coscia suæ securitati consulere, cataphractorum Equitum turma cinctus, Roma excessit, ac primo ad Mari - Montem profugus tandem Cisternam venit, ibidem a Caserta - Cajetano Duce perhonorifice exceptus. Eadem tamen adhuc die Marchionis Palatium, omnesque ejus anguli perquirebantur, ubi etiam trecentæ fuerunt repertæ prægraves cistæ libris, scripturis, & potissimum pretiosis, ac pecuniis onustæ.

§. LIX.

Sacra Cardinalium comitia pro eligendo novo Pontifice.

Interim die vigesima quarta Aprilis novemdiales exequiæ pio ac veteri ritu celebrari cæperant, sub quibus

R 4

P. Tho-

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

P. Thomas Augustinus Ricchinius Oratorum FF. Prædicatorum Theologus luculentâ oratione defuncto Pontifici parentavit. His absolutis Cardinales numero quatuor supra quinquaginta bini supplicum more procedentes die quinta Maij vaticana ingressi sunt comitia, altera vero die ejusdem Mensis Franciscus Cardinalis Barberinus Episcopus Portuensis ad invocandum S. Spiritus præsidium Sacram solemne peregit, pro novitatem eligendo Pontifice Jacobus Lauredinîus, egregius sane Præsul nîsdam habuit orationem: qua finita Comes de Colaldo Legatus Imperialis Congregatos Patres Cæsaris nomine hæc verbis alloquebatur.

„ Quamquam Augustissimus Imperator, Patres Eminentissimi, literarum, suis Vos ad publicam Christiani Ordinis salutem, ac pacem congregatos, ad Sacrosanctæ universalis Ecclesiæ Dei viduitati in inchoato opere prospiciendum satis excitasse videatur, & vos illis virtutibus, a quibus venerabile agnomen vestrum originem traxit, cæterisque omnibus ita præfulgeatis, ut ad hoc tanti ponderis, tantique momenti negotium sapienter continuandum non minus, quam sanctissime perficiendum magis, magisque impellere superfluum sit. Nihilominus

„ minus tamen Clementissimus Domi- Sæc. XVIII.
 „ nus meus mei muneris esse voluit ea A. C. 1730.
 „ vobis ore tenus confirmare, quæ ex
 „ suis literis percepistis. Ea scilicet,
 „ quæ & Sacrosanctæ Romanæ Ec-
 „ clesiæ Filium primogenitum, ejus-
 „ demque perpetuum Advocatum, po-
 „ tentissimum Protectorem, atque acer-
 „ rimum Defensorem non minus decent,
 „ quam quæ ipsius nunquam satis lauda-
 „ tam pietatem & inexplicabile Ortho-
 „ doxæ Religionis studium publico mo-
 „ numento testantur. Exposcunt hæc
 „ a vobis, Patres Eminentissimi, ut pro
 „ tali Præside ac Præsidio Ecclesiæ Dei
 „ consulatis, quo *Petri* Sedes ab Altis-
 „ simo omnium Christifidelium amo-
 „ rem, benevolentiam, venerationem,
 „ obedientiam, pacem, decus, incre-
 „ mentum, felicitatemque obtinere me-
 „ reatur. Ut qui præerit reliquis, sit
 „ reliquis etiam non dignitate & au-
 „ thoritate modo, quam prudentia &
 „ sanctitate præstantior. Tanta inter
 „ vos dignitas est, ut nemo inter vos
 „ sit, quem tantæ Dignitatis columen
 „ decere non possit. Sed omnium di-
 „ gnissimum eligere velle, Vestri mu-
 „ neris est, facere Spiritus sancti. Preci-
 „ bus igitur sincerissimis, atque animo
 „ candidissimo ab eo, a quo omne datum
 „ optimum, & omne donum perfectum,
 „ R 5 stalis

Sæc. XVIII. „talís Pontifex humillime, atque
 A. C. 1730. „nixissime implorandus est, qui sit
 „cerna ardens coram hominibus & om-
 „nibus omnia sit, orbem Catholicum
 „in pace & prosperitate conservandi
 „dentissimo studio non minus flagret,
 „quam forti pectore adlaboret. De-
 „nique se communem Patrem Chri-
 „stiana charitate præferat. Quæ
 „cum ita se habuerint (uti dubitari
 „locus non est) Sacerdotium erit præ-
 „sidium imperii, & (quod vobis, Au-
 „gustissimi Imperatoris Clementissimi
 „Domini mei nomine publice testor,
 „ac spondeo) præsidium Sacerdotii
 „erit imperium.

Interim Coscia ad congregatos Car-
 „dinales literas dedit, in quibus suam
 „agendi rationem vindicare nitentur,
 „& per Cardinalem Ottobonum sibi nu-
 „per ablata, ac præprimis scriptura
 „Regnum Franciæ spectantes restitui pe-
 „tebat. Verum Cardinales per Abbe-
 „tem Testa Cisternam ablegatum, eidem
 „responderunt, ut ad comitia Romanæ
 „veniret, necessaria ibidem suppedita-
 „tum iri, & de ceteris rebus Cardinales
 „cum eo collaturos esse. Attamen Co-
 „scia sibi minima etiam restitui postula-
 „bat, minitatus, se Cæsaris patrocinio
 „suffultum adversus novi Pontificis ele-
 „ctionem palam reclamaturum, si eum
 „pe-

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

per violentam hanc detentionem a libero comitorum accessu præpedituri essent. His minis Cardinales a suo proposito absterreri haud poterant, eo potissimum nomine, quod Cardinalis Cienfuegos palam declararet, falso asseri, quod Cæsar Cosciam protecturus esset. Cum ergo ejus Amici sat aperte cognoscerent, Cosciæ causam indies pejorem reddi, toti in eo erant, ut ei persuaderent, quatenus sua sponte ad S. Comitiam veniret. Cedit ipse eorum precibus, ac die vigesima septima Martii vespere unacum Caserta Principe Romam viginti Cataphratis probe armatis stipatus ingreditur, ac demum die quarta Aprilis ex Transpontino Carmelitarum Monasterio ad Vaticanam Ecclesiam properat, populo ad ravim usque exclamante: *in Tiberim, in Tiberim projiciatur.* Ad conclave admittitur, a Cardinalium potissimis frigidè admodum excipiebatur, argentea tamen suppellex eidem fuit restituta, mox autem Bendelmontius Beneventum ablegatus est, ut Cosciæ bona prætoriam manu detineri curaret. ibidemque in eos, qui regnante defuncto Pontifice de mala Reipublicæ administratione convicti essent, legum severitate animadverteret.

His

Sæc. XVIII.

A. C. 1730.

BIBLIOTHECA

PADERBORNENSIS

Paderborn, 1730.

His ita dispositis Cardinales prima
 scrutationi dabant initium; & tum
 quidem tot suffragia in solum Cardi-
 nalem Imperialem concurrerunt, ut ad
 consequendam supremi Apostolatus
 dignitatem nonnisi unicum desideraretur,
 non computatis Cardinalibus Lo-
 sitanis, quos S. Comitibus adfuturos
 nulla supererat spes, eoquod Rex
 diis inter se & Papam nondum con-
 positus Romam venire, ipsis inhiberet:
 Nil ergo certius esse videbatur,
 quam quod ad plenam Cardinalis Im-
 perialis electionem saltem unus ex præ-
 sentibus Purpuratis in proxima scruta-
 tione accessurus esset: Attamen præter
 omnium expectationem Cardinalis
 Sardinæ Regi faventes contra hunc
 Cardinalem, eoquod hujus Aulæ pe-
 stulatis acrius olim obstitisset, sese præ-
 lam declarabant, quibus etiam acce-
 fere Germanicæ Nationis Cardinales
 Insuper etiam Bentivolius Cardinalis
 unacum Marchione Monteleone His-
 spano Oratore exhibitis literis declara-
 bat, Imperialem pro Papa ab Hispano
 Rege nunquam fore habendum. Hac
 declaratione Imperialis se a Pontificatus
 spe dejectum minime dolebat, ipsius-
 que ceteros Cardinales animabat, ut
 se relicto in digniorem suam conferre
 suffragia adlaborarent. Verum tam præ-

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

præclara erant hujus Purpurati merita, tamque luculenta ejus pro summo Pontificatu habilitas, ut virtus ejus electionem vel ab ipsis invitis Cardinalibus jure deposcere videretur; unde contigit, ut ad finem Mensis Aprilis habita rursus votorum scrutatione solus ipse potissimorum suffragia ferret: Rursus tamen obstitit Bentivolius, adhuc memor veteris injuriæ, qua se ab hoc Cardinale, dum adhuc Ferrariæ Legatus erat, affectum credebat ob Fratrem suum jussu Imperialis custodiæ datum. Ea propter quidquid ejus rebus ac fortunis infestum esse posset, in medium proferebat, magnoque verborum apparatu exaggerabat, quod Imperialis Bichium Lusitanum Pontificis Nuntiam a Purpura excludi, totis viribus adlaborasset, ac propterea a Lusitano juxta ac Hispano Regibus rejici promeritus fuisset, aliunde vero sese Cæsareis partibus nimis addictum demonstrasset. Præterea plura alia, nescio quæ, Bentivolius in Imperialis odium accumulabat, quæ tamen adeo aperte frivola erant, ut etiam Cardinales natione Galli nil intentatum relinquerent, ut Bentivolium ad æquiora revocarent consilia: Frustra tamen id conantibus, ab eo temporis articulo cuncta in his comitiis erant incerta, confusa, & tur-

Sæc. XVIII. turbida; Cardinales enim, ut patria
 A. C. 1730. & genio, ita & voluntate ac studiis
 erant inter se discordes; atque in tres
 factiones divisi, quarum una vocabatur
Clementina, altera vero *Benedictina*, tertio
 eorum, qui vel a Clemente XI. vel a
 Benedicto XII. erant Purpura honestati
 ac denique tertia *Sabaudorum*, qui Sa-
 dinia Regis partibus adhærebant. Sed
 nec his inter se convenientibus Cardina-
 lium nonnulli oculos conjiciebant in
 Bernardum Mariam Conti Innocentii
 XIII. Fratrem Germanum ex Ordine
 S. Benedicti; quo tamen in ipsis comi-
 titiis morte repentina sublato Cardi-
 nales alii in Daviam, alii in Zondada-
 rium & Ruffum Cardinales sua conse-
 rebant suffragia; pro neutro tamen res
 ad exitum perducere poterat; animus e-
 nim in Gallos & Hispanos minus pro-
 pensus in Zondadario, immodicus erga
 Cosciam favor in Ruffo, & Nepotum
 turma in Davia carpebatur, ceteri
 cunctis fatentibus, quod omnes hi tres
 Cardinales Tiara dignissimi essent: Non
 deerant quoque, qui totum animum
 denuo revocarent in electionem Zon-
 dadarii Cardinalis, qui etiam absdubio
 prævaluisset, nisi Bentivolius adstipen-
 tante Cardinale Polignaco bene cepta
 rursus evertisset: Ferventibus hisce di-
 fidiis iterum de eligendo Cardinale

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

Imperiali serio agebatur; conspirabant in eum non modo Romani populi, sed totius pene S. Collegii vota, ac propterea Cardinales ferme omnes ad Cæsarem & Franciæ Regem literas dederunt supplices, ut Hispaniæ Regem ad revocandam ipsius exclusionem inducere vellent. Interea integrum præterfluxerat trimestre, quin vel Cardinales in unum consentirent, aut vel Principes hujus vel illius electione rebus suis satis prospectum censerent. Rebus ita in ancipiti hærentibus nonnulli Salviatum novissimum proponebant Cardinalem, cui etiam vaticinium quoddam in pervetusto Bibliothecæ Vaticanæ Codice repertum suffragari videbatur: Erat autem hujus tenoris: *Postquam in Vaticano sederit Bicoloratus usum in nomine habens & rosam in stemmate, deferens, atque producens, tum eligitur alienigena penitus in utroque, nondum Purpura decoratus, sed tamen dignus imperio ad vitandas scissuras imminentes in nostra Hierusalem, quæ tunc ædificabitur ut Civitas.* His vaticinii verbis Salviatum designari existimabant nonnulli, eo quod hic uno ante Benedicti XIII. mortem die Cardinalium Collegio adscriptus quidem fuisset, nondum tamen rubrum Biretum Purpuramque obtinisset: Verum hæc interpretre-

Sæc. XVIII. interpretio nimis ridicula videbatur illis, qui maximi momenti res ex incertis dubiisque vaticinalis decernere, haud æquum fore censebant: Consultus ergo videbatur, ut Dei auxilium in tam gravi tamque operoso negotio ferventissimis precibus imploraretur: Iubentur ergo crebræ supplicationes, jejunia, eleemosynæ, aliæque piæ excitationes, ut afflante Spiritu sancto tandem, omnium corda & sensus in probum, dignumque Ecclesiæ universalis Præsulem conspirarent, illo prefertim tempore summopere necessarium, quo universa pene Europa motuis disidiis, & bellorum procellis in excidium ruere videbatur: Ferventius ad conciliandos Cardinalium animos operam suam impendebant Purpurati, quos *Zelantes* vocant; hi igitur Cardinales Sardinæ Regi addictos sibi aggregare intenti, rem eo deducunt, ut accedentibus Purpuratis a Benedicto XIII. creatis, Portia Cardinalis non pro Papa haberetur; opposuit tamen Cardinalis Cienfuegos, qui per lam declarabat, Cæsarem omnibus Etruscis aditum ad Pontificatum, quantum in ipso esset, ob præsentis rerum vicissitudines præcludere. Convertentur ergo eligentium suffragia nunc in Falconerium, jam in Corradinum, jam

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

jam in alios, omnes quidem tanto o-
neri pares, & meritis æquales. quos
inter tamen suffragiorum numero præ-
valebat Corradinus, cui facta scruta-
tione nonnisi quinque, & habito ac-
cessu vota duntaxat tria deerant: Ast
rursus, quis credat? Bentivolius,
an Hispani Regis jussu, vel privato ex
odio incertum, palam minitabatur, si
Corradinus eligeretur, se unacum tota
Natione Hispana Roma excessurum,
& Ecclesiam S. Jacobi occludendam,
& denique Datariam auferendam esse.
Hæc fulmina ex pelvi fuisse jactata probe
agnoscebant saniores Purpurati; Cor-
radinus enim Cardinalis erat Prin-
cipum nulli suspectus, quia erga
omnes obsequiosus, ac insuper pietate,
doctrina, prudentia, rerum gerenda-
rum dexteritate, misericordia erga pau-
peres, humilitate, aliisque virtutibus
adeo commendatus, ut absolutissimi
juxta ac Sanctissimi Pontificis partes
expleturus, ab omnibus probe sentien-
tibus crederetur. Attamen non raro
in terris virtus inter laudem & admi-
rationem senescit, & præmium nescit,
certe inter communes omnium applau-
sus & vota negligebatur Corradini me-
moriam, studiis in Picum de Mirandula
conversis: Hic vero habita consilii no-
titia mox Cardinales Hannibalem &
S Ale-

Hist. Eccles. Tom. LXXIII.

S Ale-

Sæc. XVIII. Alexandrum Albanos accessit, ac in
A. C. 1730. genua provolutus coram Christi Crucem
 affixi imagine testabatur, se hanc di-
 gnitatem nunquam acceptaturum, eo
 quod ea indignissimus esset. Annua
 ejus precibus ambo Cardinales, qui
 moræ impatientes Barberinum, & Co-
 lonnam proponere tentabant; uterque
 erat meritis clarus, ac insuper futura
 eorum electioni quoddam præcludere vi-
 debatur prognosticon; cum enim Bar-
 berinus ab Alexandro VIII. rubrum ge-
 lerum accepisset, Biretum e Pontificis
 capite in ejus caput casu ceciderat:
 belle etiam in Cardinalem Colonnam
 cadere credebatur illud Malachiae Ab-
 machani vaticinantis symbolum: *Co-
 lumna excelsa*: verum ejusmodi divinati-
 onum nulla omnino habebatur ratio.

§. LX.

*Laurentius Cardinalis Corsinius in
 Papam electus.*

Jam quintum omnino Mensem hoc
 Conclave tenuit, quin humana in-
 dustria, suffragantium dexteritas, pri-
 vati favores ac molimina proximæ e-
 lectionis spem facerent. Eapropter
 Cardinalium non pauci longioris moræ
 & enatarum inde incommoditatum in-
 studio expugnati palam declarabant,